

qui fines istos transfiliant. An eos audiet quisquã, nisi qui sponte relicto cœlesti. & vnico doctore Filio Dei, perire volet? Tenendum enim est illud Heb. 1. a. 10. Deum qui multifariã & varijs modis locutus est per Prophetas, nouissime in dilecto Filio locutum esse.

Exod. 6. a. 2. Leuit. 26. g. 42. Artic. 102.

*Annotatio,* Propter promissiones suas ad Abraham, Isaac & Iacob factas, omnia agit Deus erga Iudæos.

*Censura,* Hæc annotatio falsa est, per-temeraria & captiosa, subticendo merita.

Atqui Deus non subticet, cum diserte reijcit quicquid à seipsis iactare poterat Iudæi. Non propter vos, inquit, sed propter nomen sanctum meum. Eze. 36. e. 22. Nunc merita in Iudæis ebucinent Sorbonici, quæ Deus ita prosternit. Moses similiter Deut. 9. a. 5, Non propter iustitias tuas dedit tibi Dominus terram hanc, quum populus sis duræ cervicis. Si ergo merita subticendo, tam grauitè peccaui: quid Mosi facient, qui disertis verbis ea in nihilum redigit? Fingamus aliquod meritum pretium costare: an nulla sine illorum encomijs fieri poterit Diuini fœderis mentio, quin